Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8321
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

duo viri astiterunt iuxta illum in vestibus albis qui et dixerunt: Viri
galilei quid statis aspicientes in celum. Hic ihesus qui assumptus est a vobis in
celum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum, id est in ea
forma carnis atque substantia veniet iudicaturus, in qua venit iudi-
candus. Hos ergo dignis moribus ascensum nobis in celum preparemus, et pe-
regrinari nos in hoc mundo valde cognoscamus. In quo etiam si quedam
commoda blandiuntur, non amplectenda sunt nequiter, sed despicienda sunt
fortiter. Ideo dilectissimi fratres, si ascendere vultis in celum, hoc in spe in ea
virtutum roboremus, in hoc voto omnibus estuemus, hoc meditemur in terris
quod contemplemur in celis. Tunc exuti carnis mortalitate, nunc exuamur
animi vetustate. Facile enim corpus levabitur in alta celorum, si non premit
spiritum sarcina peccatorum. Quapropter dilectissimi erigamur ad eum qui pulverem
abiectionis corporis fecit glorie sue, et ut ascensionis eius mereamur esse consor-
tes, humilitati et pacientie ipsius per omnia congruamus. Magni nominis
miliciam, magne professionis suscepimus disciplinam. Sectatores
christi discedere a regia non licet via, nec dignum est temporalibus occu-
pari ad eterna tendentes. Et quia precioso sanguine christi redempti
sumus, glorificemus et portemus dominum in corpore nostro, ut ad ea que fidelibus
sunt preparata pervenire mereamur. Dom. p. ascens. Petri I. a.

Estote prudentes et vigilate in orationibus. Et reliqua. Apostolica
nos verba fratres karissimi considerare oportet que in presenti audivimus
lectione, beatum petrum nos ammonentem atque dicentem: Estote
itaque prudentes, et vigilate in orationibus, complentes ea opere que sunt
in evangelio scripta. Ante omnia autem in vobis metipsis mutuam carita-
tem continuam habentes. Hec enim maior omnibus virtutibus esse creditur, quia
caritas operit multitudinem peccatorum, suam videlicet et illius quem per suam
doctrinam ad meliorem convertit vitam. Hospitales invicem sine mur-
muratione. Murmuratio enim noxia est bonis operibus. Unusquisque
sicut accepit gratiam in alterutrum illam amministrantes, sicut boni
dispensatores multiformis gratie dei, dantes propter dominum propria diligenter
indigentibus. Si quis loquitur quasi sermones dei, id est ut non negligenter quod predi-
cat preceptum dei deo reputet non sibi metipsi, sed quasi sermones dei loquitur,
ut non humano sensu ea studeat intelligere secundum carnalem scilicet
sapientiam, sed secundum quod spiritus sanctus dictavit eo modo spiritaliter intelligere